# THEATRVM
## VERITATIS, ET IVSTITIAE
SIVE
## DECISIVI DISCVRSVS

Ad veritatem editi in forenſibus controuerſijs Canonicis & Ciuilibus, in quibus in Vrbe Aduocatus pro vna partium ſcripſit, vel conſultus reſpondit.

## IO. BAPTISTA DE LVCA
VENVSINVS

*Per materias ſeù titulos diſtincti iuxtà proximam indicem poſt præfationem.*

## LIBER III.
## DE IVRISDICTIONE ET FORO COMPETENTI.
*PAR. II.*

DE PRÆEMINENTIIS et PRÆCEDENTIIS,
*Sub quibus*
De iure Cathedratico, Metropolitico, Nobilitate, Ciuilitate, & alijs iuribus honorificis.

UNIVERSITARIA

ROMAE,
Typis Hæredum Corbelletti. M. DCLXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

# SACRO CARDINALIVM COLLEGIO

### IOANNES BAPTISTA DE LVCA FELICITATEM.

IVRISDICTIONIS ille maior, ac pręcipuus effectus eſt, vt per eam, vtpotè iuſtitię miniſtram, ius ſuum cuique tribuatur; Decet igitur EMINENTISSIMI PATRES hanc IVRISDICTIONIS tractationem ſub VESTRI AMPLISSIMI COLLEGII nomine publicam lucem accipere, vt ità quod veſtrum eſt Vobis tribuatur, dum omnes iuriſdictionales, ac pręeminentiales quęſtiones, quas mihi diſputandas occaſio prębuit, vel ab ipſius Sacr. Collegij Congregationibus immediatam, vel ab alijs Tribunalibus, ex ipſarum Sacrarum Congregationum Oraculis mediatam determinationem accepere. Reddo igitur EE. VV. quod veſtrum eſt, atque effectum refero ſuæ cauſæ; Ità etiam maximi mei obſequij, deuotionis tributum, ac perenne monumentum ergà ipſum corpus, eiuſque ſingula digniſſima membra præſtando.

# IVRISDICTIONE ET FORO COMPETENTI

## DISCVRSVS PRIMVS

## TOLETANA IVRISDICTIONIS PRO MAGNO PRIORE CASTELLÆ ET LEGIONIS ORDINIS S. IOANNIS HIEROSOLYMITANI, CVM ARCHIEPISCOPO.

*Caſus deciſus per Rotam pro Archiepiſcopo.*

De controuerſia iuriſdictionis ſpiritualis, tàm ordinariæ, quàm delegatæ, inter Epiſcopum, & Prælatum inferiorem, tàm in locis exemptis, quàm nullius, & de territorio ſeparato, Et quomodò territorium ſeparatum probari dicatur; Et de diſtinctione plurium ſpecierum Prælatorum inferiorū, eorumq; iuriſdictionis, Ac de intelligentia priuilegiorū, quæ ſuper exemptione à locorum Ordinarijs competunt Regularibus, & Religionibus, præſertim verò illis S. Ioannis Hieroſolymitani.

*SVMMARIVM.*

1 *Controuerſiæ iuriſdictionales in Curia frequentes, et quomodò illæ decidendæ ſint.*

2 *Facti ſeries, ſeù caſus controuerſiæ.*

3 *Totus Orbis ſub Dyoniſio diuiſus eſt in Diœceſes, & quid ſit Diœceſis.*

4 *Antiquitùs non dabatur locus, qui non eſſet ſub aliqua Diœceſi.*

5 *De introductione exemptionis Regulariū, & monaſteriorum.*

6 *De priuilegijs exemptiuis Religionis Hieroſolymitanæ.*

7 *De vſu Prælatorum inferiorum, eorumque diuerſis ſpeciebus, quæ diſtinguuntur.*

8 *Territorium Monaſterij, vel Eccleſiæ exemptæ, conſiſtit in ipſius ambitu, & iuriſdictio Prælati eſt in perſonas.*

9 *De Prælatis inferioribus cum iuriſdictione in Clerum, & populum, ſed intrà Diœceſim Epiſcopi, et quid iſta iuriſdictio importet.*

10 *De Prælatis cum territorio ſeparato & nullius.*

11 *Ad ſolum Papam pertinet territoria ſeparare.*

12 *Territorium ſeparatum non præſumitur, et illud probandum eſt, vel per priuilegium, vel per immemorabilem.*

13 *De differentia inter vnam, & alteram ſpeciem probationis, et immemorabilis non ſuffragatur, niſi canonizata per tres conformes.*

14 *De concluſione, quod Epiſcopo agenti incumbat onus probandi ſituationem loci in ſua Diœceſi.*

15 *De probatione ſituationis in Diœceſi.*

16 *A finibus temporalibus non infertur ad ſpirituales & econtrà, et non ex eo quod locus habet territorium propriū*